

ac celeriter quas ad ipsum regem quasque ad dilectum iam filium nostrum Io. cardinalem Metensem litteras scribimus curabit reddendas.
Datum Rome 28 maii 1518 anno sexto.

Archivio segreto pontificio, Arm. 44, tom. 5, f. 167^b-168.

51. Papa Leone X al granduca Vasili di Moscova.¹

Roma, 4 giugno 1518.

Leo episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio nobili viro Basilio magno totius Russia et Moschovie principi potentissimo salutem et apostolicam ben. Sumus prepositi a Domino Deo nostro per illius in-scrutabilem providentiam universo generi fidelium suorum, qui sunt vocati ad repromotionem vitae aeternae, ut pastoris vigilis vel potius pii pastoris amore atque animo illorum salutem sedulo procuremus, quae cum in duabus rebus maxime consistat, ut pacem inter se et caritatem conservent et ut ab impetu et rabie infidelium Christi hostium defendantur, nos utramque hanc curam perpetuamque sollicitudinem animo gerentes et nunc quidem precipue immanissimorum Turcarum maximis successibus, quantum Dominus concesserit, cupientes obser-stere, ne illius potentia in generalem perniciem non solum Christianitatis verum etiam aliorum quorumcunque hominum evadat, ele-gimus dil^m filium Nicolaum de Schomberghe [sic] ordinis predicatorum, cuius hominis virtuti ac prudentie plurimum confidimus et quem ad magnas res tractandas adhibere sumus soliti, nuperque ad caris-simos in Christo filios nostros Cesarem, Francie, Hispanie, Anglie Reges misimus. Et nunc iterum ei mandavimus, ut ad ipsum Cesarem et ad te aliasque nonnullos reges et principes se conferret tecumque alia quaedem et ut arbitramur ad tuum quoque honorem et commodum unionemque Christianarum rerum ac sectarum pertinentia consilia nostra nostro nomine communicaret. Hortamur igitur nobilitatem tuam in Domino et pro affectu animi nostri erga te valde requirimus, ut eum libenter et amice audiens nos ipsos tecum exi-stimes illo loquente loqui eamque fidem illi habeas, quam nobis habe-res. Et si quid animum tuum movet, quem et nobilem et generosum esse intelleximus, nostra in te paterna benivolentia, qui, quod cum tuo incremento dignitatis et salute tua perpetua fiat, cupimus vehe-menter, et Deum tibi et te illius sanctissimae fidei esse propitium, in iis, quae tecum communicaverit, et promptum te et benivolum ostendas, quod erit nobis summopere gratum. Datum Rome apud sanctum Pe-trum anno incarnationis dominice mill^{mo} quingent^{mo} decimo octavo, pridie nonas junii, pontificatus nostri anno sexto. Albergatus.

Archivio segreto pontificio, Regest. Vat. 1194, f. 225.

¹ Cfr. vol. IV 1, 152.